



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola XIII. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

men opportunum præferente . Suâ vos  
Deus, quæ una certa est, custodiâ defen-  
dat. Vale. Manapare III. Nonas Augusti  
AN. CXCIXLIV.

Tui Amantissimus in Christo Frater.

*Franciscus.*

EPISTOLA XIII.

EIDEM.

**C**arissime in Christo Frater. Iterum in-  
culco tibi nactus novam occasionem,  
eadem quæ hoc ipso die manè scripsi;  
etiam atque etiam obsecrans, ut miserrimam  
istam Gentem, in tantâ suâ calamitate,  
quantum omni conatu potes, subleves &  
consoleris: utque (quod in parte summæ à  
caritate tuâ gratiæ, pro urgenti desiderio,  
numeraverim) statim cum fide indices,  
quid verè Tutucurini actum sit. Malè me-  
tuo ne Tutucurinenses hi tumultus cladis  
aliquod auctarium in istos, aliunde plus fa-  
tis miseros, Christianos inferant. Tanta hîc  
consternatio est ex anxiâ formidine impen-  
den-



dentium malorum, quantam nullis fatis ver-  
 bis possem exprimere. Nec probare un-  
 quam possem, nec cuiquam probandum  
 sperem, deserere à nobis hos Populos tam  
 dubio & calamitoso suo tempore. Quare  
 nolim Te ire cum Ioanne Artiagâ, quò in-  
 vitat, nisi quando nullum isthic amplius pe-  
 riculum erit à Badegis: de quibus simul  
 aliquid certò compereris, fac, quæso, statim  
 ut quidquid id fuerit per te resciam. Ad  
 hos alliciendos ad pacem, Rex Travancoris  
 Brachmanem destinat, qui eò proficiscens  
 ducit secum Interpretem Præfecti Nostri.  
 Quid effecturi sint, in incerto est. Hos  
 quidem duos hîc modò Manapare habemus  
 in procinctu proximo navis scandendæ.  
 Aveo mirum in modum de Lusitanis Tutu-  
 curinensibus audire quid in re sit: etiam  
 atque etiam oro te: minutè ac singillatim  
 cuncta perscribas. nec moram interponas:  
 sed ut primum quidque didiceris, chartæ il-  
 line ac mitte. In æstu sum animi & curâ  
 molestissimâ, quam unæ mihi tuæ istiusmo-  
 di literæ queunt eximere. Rumores ferun-  
 tur de Lusitanis, de Christianis aliquot, vul-  
 neratis aut occisis. Verum id nec ne sit:  
 & quid omninò, quoque modo, contigerit  
 per



per te, idque celerrimè, doceri majorem  
in modum opto. Circa tuam profectio-  
nem, vel constituemus quid expediat pri-  
mo congressu nostro; vel si prius deto-  
nuerit Badegarum hæc tempestas, quid mi-  
hi videatur, datis maturè literis ut scias,  
faciam. Dominus Noster sit semper te-  
cum. Amen. Manapare xiv.Kal.Septembris  
AN.CIDIDXLIV.

Hoc puncto temporis accipio Episto-  
lam à Guarimo, quâ meus me Carissimus  
Frater certiozem facit, Christianos fugisse in  
Sylvam, spoliatos prius à Badegis, qui unum  
ex ipsis, alium item è Gentilibus, vulnera-  
runt. Malis undique nuncijs obruimur. Lau-  
detur semper Dominus Deus.

Tuus Frater in Christo Amantissimus.

*Franciscus.*

EPI-